



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Caput III. De Processionibvs In Specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT III.

DE PROCESSIONIBVS IN SPECIE.

CONTROVERSIA I.

Quibus Rationibus declarari possit, Verbum esse Filium, & Generari, non item Spiritum S.

709. **C**um de Fide sit, secundam Personam Generari, non verò tertiam, quaritur, quanam sit discriminis ratio, fundata in definitione Generationis Viventis, & est hæc. *Generatio est Origo Viventis à Vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ.*

710. Hæc definitio ideo reddit obscurum discrimen inter duas Processiones in ordine ad effectum formalem Geniti, quia quidquid reperitur in Processione Verbi, quod non reperitur in processione Spiritus S., vel videtur impertinens ad generationis conceptum, & sic non excluderetur per illud Spiritus S. Processio à Generatione, vel videtur insufficiens, & sic non generaretur Verbum.

711. Ex hac difficultate, teste S. Athanasio, Epist. 2. de Spiritu S. Macedoniani hæretici sumebant ansam impugnandi Divinitatem Spiritus S. hoc dilemmate. Si Spiritus S. est Deus, vel procedit à solo Patre, vel à solo Filio, vel ab utroque simul: nihil horum dici potest. Non primum, quia sic esset Filius Patris, & Frater Verbi. Non secundum: sic enim esset Filius Filij & Nepos Patris. Non tertium, quia cum non possit habere duos Patres, altera persona deberet esse Mater.

712. In hoc Mysterio declarando jam olim Patres tantam agnovère difficultatem, ut ingenuè faterentur, ignorare se Generationis modum, & discriminis rationem, eamque esse soli Deo notam; quin immò temeritatis & insanix esse dixerunt, si quis investigare præsumat; quorum verba recitat Ruiz d. 1. s. 1. Neque tamen eorum intentio fuit improbare humilem sobriumque conatum reddendi congruam Rationem huius Mysterij, sicut & aliorum, juxta monitum Apostoli 1. Petri 3. jubentis nos paratos esse ad satisfaciendum omni poscenti Rationem eorum quæ speramus & credimus: sed solum improbârunt investigationem adeo contentiosam, ut acquiescere nolis vlli probabilitati, sed soli evidentix. unde ipsimet PP. etiam præsentis Mysterij Rationem probabilem reddiderunt adversariis, ut videre licet apud eundem Ruiz disp. 8. s. 1.

713. Quapropter non possum probare consilium eorum, qui toti sunt (& non est difficile) in aliorum placitis impugnandis: nec volunt nisi unicam explicationem admittere; cum potius laudabile videatur plures admittere, quarum et si singulæ non plenè satisfaciant, simul tamen junctæ rem eousque declarant, ut mereantur prudentem assensum. Quapropter celebriores omnes explicationes referre, easque quoad fieri potest, defendere constitui, eâ exceptâ, quæ recurrit ad virtutalem distinctionem inter Intellectum & Voluntatem, quam suprà rejecimus.

S. I.

Prima Ratio, desumpta ex unitate Personæ producentis Verbum, & dualitate Personarum producentium Spiritum Sanctum.

714. **R**ationem hanc insinuavit S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 27. *Filium nullum esse duorum, nisi Patris & Matris.* Unde confici potest discursus hujusmodi. Quando ad generationem proles requiritur duplex persona, intervenit etiam duplex generatio partialis, partialitate substantiæ communicatæ, quatenus tam Pater quàm Mater præcidit sibi partem materiæ, quâ constat deinde proles, & vi hujus duplicis præcisionis fit per se loquendo, ut proles assimiletur utrique, secundum diversas rationes in illis repertas, participans nimirum aliquid peculiare de Patre, & aliud peculiare de Matre, & sic evadit imago duorum quæ duorum, hoc est, non præcisè secundum aliquam rationem utrique communem, adeoque procedit formaliter in similitudinem Naturæ duorum. Hinc est, quodd si vel solius Patris, vel solius Matris materia animaretur, ea sufficeret ad generationem, sicut beatissima Virgo genuit Filium, sine consortio materiæ virilis.

Verbum itaque dicitur Generari, quia procedit in similitudinem producentis unius quæ talis, evadens imago propria illius secundum peculiarem illius rationem, hoc est, secundum rationem producentis unice, & per virtutem sibi soli propriam, & nulli alteri communem. Spiritus S.

tus S. verò non generatur, quia procedit à duabus personis, non communicantibus diversum quid, sed prorsus eandem Naturam, nec producentibus per diversam virtutem, sed per eandem vtrique communem, & ideo non evadit imago duarum personarum, nisi secundum rationem communem. Hæc explicatio tribuitur etiam S. Anselmo in Monologio c. 53. Eandem amplectitur Magister Sentent. in 1. dist. 13. Turrianus Opusc. 8. disp. 1. dub. 3. & tanquam sufficientem approbat Ant. Perez d. 3. c. 6. n. 87. Item Petavius lib. 7. c. 13. n. 9.

715. Ad hanc explicationem reduci potest duplex alia, non multum absimilis, aliorum Recentiorum. Primò aliqui in Verbo peculiarem similitudinem cum prima persona inde desumunt, quòd Verbum in ratione *Producti*, assimilatur primæ Personæ tanquam producenti adequato, live, quòd accipiat Naturam ut est virtualis radix processionis activæ, constituentis primam personam: Spiritus S. verò vi processionis assimilatur duabus Personis secundum aliquid vtrique commune, nempe secundum Spirationem activam. Generatio autem requirit ut origo sit in peculiarem similitudinem Naturæ.

716. Obijci potest, ad veram generationem non requiri assimilationem peculiarem, sed sufficientem assimilationem secundum rationem specificam Naturæ: unde etiam si in humanis persona genita in nullo esset peculiariter similis generanti præ alijs hominibus, adhuc esset vera generatio filij: ergo non sufficienter excluditur Spiritus S. à ratione filij, esto Verbum adhuc peculiari ratione posset dici Filius.

717. Responderi potest, in omni generatione intervenire communicationem alicujus partis generantis, quæ communicatio est apta inducere peculiarem similitudinem, nisi per accidens impediatur. Spiritus Sanctus verò necessario procedit in similitudinem duarum Personarum secundum aliquid commune. Definitio ergo accipienda est de eo, quod per se fieri solet, vi processionis & communicationis.

718. Altera explicatio, huc reducibilis, est hæc. Ad rationem filij spectat, ita procedere similem suo principio, ut in nullo sit illi dissimilis, nisi in forma denominante *Producens* & *Productum*, vel (si hæ denominationes proveniunt ab eadem forma, ut sit in creatis) respiciatur diverso modo à forma denominante principium produciens & terminum productum. Cum igitur in divinis Productio activa & passiva distinguantur, & prior denominet Principium produciens, secunda terminum productum, hinc ad Filiationem in divinis requiritur, ut produciens & productum in nullo differant ab invicem, nisi in productione activa & passiva: & hoc quidem convenit Verbo, non verò Spiritui Sancto, qui insuper à suo Principio differt in hoc, quòd Spiritus S. in omni ratione sit unus, Spirator autem sit quidem unus in ratione

Spiratoris, sed binus in ratione Personæ, quæ est notabilis dissimilitudo, pugnans cum ratione filij.

719. Obijcies. Etiam Christus Dominus habet aliquid quod non est in Beatissima Virgine, & tamen est illius Filius: ergo hoc non obstat Filiationi. R. Christum nihil accepisse à B. Virgine, in quo sit dissimilis B. Virgini, sicut Spiritus S. accipit Spirationem passivam, dissimilem Paternitati & Filiationi, à quibus illam accipit.

S. II.

Secunda Ratio, desumpta ex fecunditate Verbi ad producendam aliam Personam.

720. Hæc ratio sic proponi potest. De conceptu Naturæ est, ut sit principium motus: quare ut aliquid procedat in similitudinem Naturæ, prout requiritur ad Generationem Videntis, debet vi suæ processionis accipere Naturam ut operativam. Verbum itaque procedit in similitudinem Naturæ, quia accipit Naturam ut Spirativam, non item Spiritus Sanctus. Hanc rationem amplectuntur Bonaventura, Alensis, Major, Richardus de S. Victore, quos sequitur Zuniga, Hurtadus, Mendoza, Derkennius, & approbat tanquam sufficientem Antonius Perez, & Esparza.

721. Ad hanc explicationem reduci potest alia non minus accommodata, nempe de ratione filij esse, ut procedat in similitudinem Naturæ, primò saltem aptitudinaliter, hoc est, ut quantum est ex vi Processionis, possit esse primogenitus, adeoque non essentialiter supponat aliam similitudinem jam existentem, & per aliam processionem obtentam. Hoc convenit Verbo, non item Spiritui S. qui vi processionis supponit aliam Personam, jam procedentem in similitudinem naturæ, & eandem sibi secundo loco communicantem. Hujusmodi enim secunda essentialiter productio (inquit Ant. Perez n. 31.) solum intenditur, ut similitudo jam constituta, producat amorem tanta similitudine dignum.

722. Obijcitur. 1. Si fecunditas esset de conceptu filij, nec Verbum esset filius, quia licet sit fecundum ad spirandum, non est tamen fecundum ad generandum, prout fit in humanis.

Confirmatur. Mulus verè generatur, & tamen non accipit naturam fecundam, quia Muli non generant, nec Mula concipiunt, ergo non est de conceptu filij accipere naturam fecundam ad producendum simile in Natura.

723. R. 1. Eam solam fecunditatem esse de filij divini conceptu, quæ non infert secum imperfectionem; hujusmodi autem esset fecunditas ad iterum generandum: cum enim in Deo idem sit: *Posse*, & *agere* ad intrà, sequerentur infinitæ generationes, quod esset maxime inconveniens, ut observavit S. Basilijus lib. 5. contra Eu-

nom. c. 12. §. 2. De conceptu Naturæ Viventis est, esse operativam ab intrinseco, & ideo ut Verbum procedat in similitudinem Naturæ viventis, debet accipere Naturam operativam ab intrinseco, hoc autem in divinis non potest esse nisi ad producendam aliam Personam, communicando illi suam essentiam, quamvis in creatis sufficiat accipere naturam quomodocunque ab intrinseco operativam. Sic licet Mulus non generet, potest tamen alias operationes vitales exercere, & hoc sufficit, ut dicatur generari & procedere in similitudinem Naturæ Generantis. Cæterum Theophrastus apud Vasquez tradit, mulos in Asia generare. Illud certum videtur, à Natura saltem intendi virtutem generandi, quandoquidem masculos & feminas producit.

714. Objicitur. 2. Hæc explicatio est aliena à mente Patrum Concilij Florentini, ubi cum Græcis erat Latini controversia, an Spiritus S. à Filio etiam procedat, quod Græci negabant, Latini affirmabant, & tamen Græci adhuc Verbum ut Filium asserabant, neque Latini arguebant Græcos ex hoc capite, quasi in eorum Sententia stare non posset conceptus Filij ob defectum fecunditatis, quod tamen Latini non debuissent dissimulare, ne arguerentur oscitantia in propugnando Fidei dogmate, omittendo clarum & facile argumentum.

715. Responderi potest. 1. cum Derkenio, Concilia non semper omnia attulisse, quibus aliena dogmata confelli possunt, sed ea, quibus adversarios maxime premi posse putabant. hujusmodi non fuisset præsens argumentum: non enim constabat Patribus, verum non aliâ ratione posset Filiatio Verbi defendi.

716. Responderi potest secundò. Immo Concilium Florentinum videtur usum esse hoc argumento, sessione ultimâ, hæc enim sunt verba Latinorum, contra Sententiam Græcorum. *Credentes, (Græci,) Spiritum S. nequaquam ex Filio procedere, necesse est, ut intelligant Spiritum ex solo Patre procedere, & consequenter NB. non esse Filium.* quæ vltima verba non sunt intelligenda quasi dicta essent de Spiritu S. quod non esset Filius: potius enim debuissent dicere: *& consequenter esse filium:* sed sunt intelligenda de Verbo, quod scilicet consequenter Verbum non esset Filius, adeoque ob defectum fecunditatis.

Hic ergo locus adeo confirmat præsentem explicationem, ut illi qui eam recipere recusant, arbitrentur textum esse corruptum, & omitendum esse illud *NON*, quod tamen alij refutant.

717. Objicitur. 3. Prius innotuit Filius Dei quam Spiritus S. ut SS. Patres loquuntur: sed hoc non posset intelligi, si conceptus Filij haberetur per fecunditatem realem ad intrâ. Ergo. 4. Distinguendo majorem: prius innotuit Filius, quam innotuerit Spiritus S. explicitè, concedo,

quàm innotuerit implicitè, nego: & dico, quod sicut defacto notum est Verbum esse Filium, licet necdum certò & explicitè notum sit, ob quam maximè rationem sic vocatus sit, ita etiam priusquam innotesceret dari in Deo tertiam Personam, poterat quidem notum esse, Verbum esse Filium, sed ignorari, an præcisè ideo, quia procedit ab vno, vel quia esset fecundus ad intrâ.

718. Objicitur. 4. Personarum divinarum similitudo non est Notionalis, sed essentialis, ut tradit S. Thomas 1. p. q. 33. a. 2. sed Spiratio activa est Notionalis: ergo similitudo Verbi cum Patre non rectè desumitur à fecunditate. 5. Distinctio: Similitudo communis omnibus tribus Personis, & inducens formaliter æqualitatem Perfectionis, est essentialis & non notionalis, concedo, similitudo specialis duarum personarum, nego.

§. III.

Tertia explicatio, desumens Filiationem à Similitudine Intentionali.

719. Secundum in Trinitate Personam specialiter vocari & esse Verbum, consentiunt DD. fundati in S. Scriptura Jo. 1. Et Verbum caro factum est: de quo eodem Verbo prius dicere cæperat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et quidem ratio Verbi debet in sensu proprio tribui secundæ Personæ, & non Metaphorico, ut fuit contra Origenem ostendit Ruiz disp. 55. s. 3. Quod si vnus aut alter Patrum etiam Spiritum S. Verbum Filij vocavit, in sensu Metaphorico accipiendus est, quatenus Filius mittendo Spiritum S. manifestat voluntatem suam, vel alio sensu, ut apud eundem Authorem videri potest.

720. Quia verò non potest ratio Verbi vocalis tribui divinæ Personæ, accipiendum utique est de Verbo Mentali, hoc est Intellectione, quæ non rarò Verbum, quo nobiscum ipsi loquimur, nuncupatur. Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo. Sap. 2. Dixerunt impij apud se non rectè cogitantes. Math. 9. dixerunt intra se: hic blasphemat.*

721. Ulterius eadem ratione vocatur secunda Persona, Imago Patris; & quidem speciali ratione, & non generali, quâ etiam Spiritus S. vocatus est à Græcis Imago, quibus se Concilium Florentinum aliquando accommodavit.

722. Ex eo itaque, quod secunda Persona specialiter sit Verbum & Imago Dei, quod habetur revelatum per Scripturas Sanctas, deducitur, secundam Personam esse Intellectionem, sicut tertia est Amor; & hoc sensu dicitur secunda procedere per Intellectum, tertia per Voluntatem, etiam si Intellectus & Voluntas divina non nisi extrinsecè & ratione nostrâ distinguantur; sicut nostræ cognitiones dicuntur esse operationes Intellectus, & non Voluntatis, etiam si intellectus & voluntas nullo modo intrinsecè distinguantur, nempe

nempe ob suum specialem tendendi modum, vt philosophi declarant.

733. Observandum tamen est discrimen inter hanc divinam Intellectionem (quæ est Verbum) & Intellectiones nostras creatas; quod istæ sunt formæ constituentes physicè *Intelligentem*, & objectum *cognitum*: Intellectio autem quæ tres Personas divinas constituit *intelligentes*, non est Personalitas Verbi, sed est Perfectio essentialis absoluta, & communis, neque vlllo modo est producta.

734. Restat ergo, vt Verbum seu Intellectio Notionalis sit mera Intellectio passiva, seu objectiva, hoc est, objectivè repræsentans omnia illa objecta, ex quorum cognitione procedit. Et licet hoc discrimen sit nobis captu difficillimum, vt meritò dixerit Cyrillus lib. 7. *operis quod Theophrastus inscribitur* c. 1. frustra nos mirari Evangelistam, & quasi magnum quid proprium tonasset, tonitruum filium appellare, nisi Verbum quasi proprium mirabile & inauditum pronuntiasset: nihilominus.

735. Vt aliquatenus pro modulo nostro Verbi huius & Intellectionis passivæ productionem capiamus, advertendum est ex alibi dictis, fecunditatem communicandi suam Naturam, seclusis imperfectionibus, esse Perfectionem simpliciter simplicem: omnis autem communicatio realis fundatur in aliqua distinctione reali: non potest autem natura divina communicari producendo aliam naturam divinam similem: neque potest dari distinctio virtualis, nisi fundetur in distinctione reali in tertio, vt suo loco probatum est: quare vt seclusa omni imperfectione posset in Deo esse realis productio communicativa divinæ Naturæ, oportebat essentiam divinam habere vim emanandi virtualiter primam personam, tanquam principium formale *Quo*: proximum, hoc est, Processionem activam, cui responderet Processio passiva realiter distincta.

736. Vtteriùs, quia Deus est Natura Intellectualis spiritualis, de cuius ratione est, vt prima ejus operatio procedat ab Intellectu, in Deo autem Intellectus & Intellectio identificentur etiam virtualiter, ideo prima ejus operatio ad intrà debebat esse ab Intellectione essentiali quâ tali, hoc est, in modo tendendi debebat esse similis nostris intellectionibus quoad hoc speciale prædicatum, quod respiceret Intelligentem specialiter quâ talem, & formaliter procederet ad repræsentandum objectum cognitum tanquam similitudo illius intentionalis. In quo tendendi modo differt Verbum à Spiritu Sancto, sicut differt Cognitio ab Amore; nam licet amor etiam aliquo modo repræsentet objectum, non vocatur tamen similitudo objecti specialiter sicut Cognitio, quia non producit in hunc finem, vt in producente existat similitudo objecti, sed potius ex præexistente similitudine in hunc finem producta procedit, tanquam impetus quidam, & ideo vocatur tertia

Persona specialiter *Spiritus & Amor*. His observatis,

737. Restat quaestio, An, & quomodo ex hoc discrimine deducatur Generatio Verbi, & non Spiritus Sancti, adeoque Verbum sit verè Filius, non item Spiritus Sanctus. Negant hinc posse deduci Card. de Lugo, Arriaga, Derkennius & alij. Affirmant verò rectiùs Vasquez, & plerique antiqui, si rem ipsam potius, quàm verba spectemus, vt colligere licet ex Ruiz, *disput.* 6. 1014. & me quidem iudice est S. Thomæ q. 27. a. 2. in C. vbi sic concludit. *Igitur processio Verbi in divinis, habet rationem Generationis*, procedit enim per modum *Intelligibilis actionis*, quæ est operatio vite, & à principio conjuncto, & secundum rationem similitudinis. *Quia conceptio Intellectus est similitudo rei intellectæ & in eadem Natura existens. Quia in Deo idem est: Intellegere, & Esse.* Plura dabimus post SS. Patres.

738. Probatur imprimis Autoritate Scripturæ. Io. 1. vbi planè videntur pro eodem accipi ratio Verbi & ratio Filij, dum dicitur. *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* ad Romanos 8. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* Sanctorum Patrum eandem esse Sententiam, mihi est indubitatum.

S. Athanasius Epist. de decret. Synodi Nicænæ: *Quodsi, inquit, eum Imaginem nominem, Filium hoc ipso eum esse indicaveris. Quid enim est simile DEO, nisi sua ipsius progenies: Ecce! quod in similitudinem intentionalem reducat rationem Filij.*

739. Eusebius Cæsariensis lib. 4. Demonstrationis Evangelicæ c. 2. *Non immerito, inquit, oracula Theologicè loquentia Deum genitum illum enuntiant, tanquam eum qui divinæ Naturæ similis NB. in seipso ferat imaginem, propter quam & Deum quoque & esse illum & dici, ejus videlicet, quæ quod primum est refert, expresse similitudinis gratia. Ecce! quomodo Spiritum Sanctum excludat à Generatione præcisè ex eo, quod non sit Deus ratione similitudinis: atqui est Deus ratione identitatis: ergo intelligit similitudinem Intentionalem.*

740. Clemens Romanus Ep. 1. ad Jacob. Deus Pater, inquit, *secreti Sacramenti vocabulum est, cuius verè Filius est Verbum, & Speculum, & Character, & Imago videns Patris viventis, in omnibus Patri similis.*

Nicetas ad Orat. 42. Nazianzeni n. 19. *Imago, inquit, est vivi archetypi, & viva ipsa, longèque majorem similitudinem habet, quàm sit ea, quâ Scit Adamum refert, vel quâ quidquid gignitur, id à quo generatur exprimit. Notanda sunt hæc verba propter illos, qui vt videbimus, vnicè ferè hanc sententiam improbant, quasi similitudo intentionalis sit tantum metaphoricè similitudo, insufficiens ad generationem. Quod autem loquatur de Intentionali similitudine, audi eundem. Quam*

igitur rationem habet definitio ad definitum, eandem Filius ad Patrem, ipsum enim declarat, quemadmodum definitio definitum. Quamobrem Christus dicebat: qui me intellexit (hoc enim significat, qui videt me) Patrem quoque intellexit.

741. Hilarius lib. 7. de Trinit. Quod ergo imago est, eo proficit, ut Deum Patrem unigeniti Dei significet nativitas, significet autem ut forma et imago invisibilis Dei. & lib. 9. Perfecta Nativitas perfectam imaginem præstat. & lib. de Synodis ad Can. 3. Orientalium. Hoc est, inquit, esse Filium, paternæ scilicet formæ veritatem coimaginatæ in se Naturæ perfectæ similitudine retulisse.

742. Augustinus lib. 5. questionum in Deuteronomio. quæst. 4. ait, Patrem esse Prototypum, et Filium esse imaginem expressam. Plures PP. videre licet apud Petavium lib. 7. c. 14. toto, ubi hanc sententiam alijs omnibus præfert, sicut & Anton. Perez, Card. Pallav. Elparza.

743. Redeo nunc ad auctoritatem S. Thomæ, cuius aliqua verba jam retulimus ex Summa & proprio quæstionis loco; nunc alia dabimus. Itaque libro 4. contra Gentes c. 11. & 19. Cum autem, inquit, ostensum sit, quod amatum in amante non est secundum similitudinem speciei, sicut intellectum in intelligente, omne autem quod procedit ab altero per modum geniti, procedit secundum similitudinem speciei à generante: relinquatur, quod processus rei ad hoc quod sit in voluntate, sicut amatum in amante, non sit per modum generationis. Quam doctrinam repetit in Summa q. 27. a. 4. in C. Processio autem (loquitur de Spiritu S.) quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid, et ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut Filius, sed magis procedit ut Spiritus, quo nomine quædam vitalis motus et impulsio designatur.

Denique objectionum solutio erit completa huius sententiæ probatio.

744. Obijciunt ergo. 1. Similitudo Intentionalis non sufficit ad rationem Generationis & Filij: sed talis est similitudo Verbi: ergo per hanc non defenditur ejus Generatio. Major patet ex cognitione, quæ Angelas cognoscit se ipsum: quæ tamen intentionaliter similis Angelo, non propterea dici potest ejus filius. 2. Definitionem Generationis cognitioni Angelicæ primò ideo non convenire, quod non fiat ejus productio à principio conjuncto per aliquam suæ substantiæ communicationem, prout ad Generationem requiritur. Verbum autem accipit ipsam individuum Naturam Principij producentis. Secundo, ad Generationem requiritur origo suppositi viventis à supposito vivente realiter distincto: Cognitioni Angelicæ non est suppositum; Verbum est suppositum distinctum, ut patet. Tertiò, ad Generationem viventis requiritur, ut terminus secundum id, secundum quod procedit in similitudinem sui principij, sit substantialis, quod

non convenit cognitioni Angelicæ, sed Verbo. Quid ergo mirum, si cognitio Angelica non possit dici Filius, aut Generari, possit autem Verbum? & sic habetur triplex disparitas & modus distinguendi majorem propositionem objectionis.

745. Respondetur ulterius, aliter distinguendo. Similitudo Intentionalis non sufficit, quando excludit similitudinem realem per defectum & imperfectionem, concedo: quando excludit sine imperfectione, eo quod illi communicetur communicatione formaliter summa tota perfectio Principij producentis, nego majorem: & eodem modo distincta minore; negatur consequentia.

746. Obijciunt. 2. Similitudo Intentionalis est tantum Metaphoricè similitudo: atqui definitio Generationis loquitur de similitudine propriè dicta: ergo non bene applicatur Verbo. 2. 1. Adversarios nullam penitus similitudinem assignare, quia loco similitudinis substituunt Identitatem numericam Naturæ: Similitudo autem est inter distincta. 2. 2. Negando quod similitudo intentionalis sit Metaphoricè similitudo, quin potius, ut bene animadvertit Antonius Perez, similitudo intentionalis est forma & mensura extrinseca similitudinis physici; in tantum enim aliqua deprehendimus esse similia, in quantum possunt vnâ cognitione, abstrahente rationem communem, fieri vnum extrinsecè, ut tradunt Philosophi de vniuersalibus: item dicimus A. esse simile B. quia experimur cognitionem ipsius A. esse similem cognitioni ipsius B. & per consequens supponimus cognitionem ipsius A. esse similem ipsi A. Sanè mihi semper (abstrahendo à præsentis quæstione) indubitatum fuit, quod cognitio sit Imago propriè dicta objecti, & quidem magis quàm Imago picta: atqui de ratione Imaginis est, esse similitudinem, definitur enim Imago, similitudo procedens ab eo cuius est similitudo, in hunc finem, ut illud repræsentet; & ideo omnis Imago est similitudo, sed non e converso.

747. Dices. Verbum potius est similitudo Paternitatis quàm Naturæ, quia realiter procedit & distinguitur à Paternitate: atqui Paternitas ut sic non est ipsa Natura: ergo non procedit Verbum in similitudinem Naturæ potius quàm alius quod virtualiter non est Natura. 2. Philosophos ideo in definitione Generationis posuisse, Similitudinem in Natura, quia non agnovissent alium modum producendi similitudinem substantialem sui, nisi producendo naturam distinctam. Quod si agnovissent productionem substantiæ similis intentionaliter cum identitate Naturæ (quæ in solo Deo reperitur) contenti fuissent dicere: in similitudinem Producentis.

748. Obijciunt. 3. Esto sufficiat similitudo Intentionalis, & sic possit explicari Generatio Verbi, certum tamen est, eam non requiri ad Generationem;

nerationem; adeoque ex hoc capite non declaratur, cur Productio Spiritus Sancti non sit Generatio: nam etsi declaratur non habere hanc similitudinem, non propterea caret aliquo requisito ad generationem. Antecedens patet: Nam Filius hominis non est similitudo intentionalis Patris sui, ergo similitudo intentionalis non requiritur ad rationem Filij. *¶* Ad Generationem requiri alterutram similitudinem, videlicet, ut productum secundum quod est productum, sit vel simile Realiter & Physicè, vel intentionaliter: atqui Spiritui Sancto neutra similitudo convenit; non Realis, quia non accipit Naturam realiter distinctam; Spiratio autem passiva est physicè dissimilis Spirationi activæ. Non etiam convenit similitudo intentionalis, ut ipsi adversarij concedunt, & jam declaratum est, quia amor non est Imago objecti amati: nam licet illud aliquo modo repræsentet, non procedit tamen ex intentione assimilandi, sed ex tali similitudine præcedente & supposita procedit. item, ut observat Pallavicinus Cardinalis, perfectio amoris non desumitur ex repræsentatione objecti sicut Perfectio cognitionis.

749. Labet hæc verba quædam referre ex P. Antonio Perez, in gratiam eorum, qui cum cæteroquin Magistro suo tanquam oraculo inhaereant, respuunt tamen usum Hypotheseon impossibilium, quas ex eodem discere potuissent. Itaque c. 4. n. 70. circa medium, ut confirmaret, similitudinem intentionalem non esse impertinentem ad rationem Filij: *Finge, inquit, tibi Filium hominis esse hominem, & esse simul secundum suam substantiam cognitionem sui & patris, quis non videat, patrem hunc melius manere repræsentatum in hoc filio, quam nunc accidit: ergo magis esset filius.* En! hypothesein impossibilem. de bonitate consequentiæ non sum sollicitus.

CONTROVERSIA II.

Ex quorum Objectorum cognitione procedat Verbum.

750. *S*ensus Quæstionis est, quamnam objecta respiciat illa Intellectio absoluta, ex qua tanquam Principio radicali procedit Verbum; adeoque quamnam objecta repræsentet Verbum. Eadem quæstio cum proportionem procedit de Spiritu Sancto, ex quorum objectorum Amore procedat.

751. Certum autem est, ad minimum procedere ex cognitione omnium attributorum absolutorum & essentialium, & per consequens, ex cognitione creaturarum ut possibilem, quatenus attributa absoluta dicunt respectum & ordinem ad illas. Ratio est, quia ut supra vidimus, Objectum directum & formale divinæ Intellectionis, est ipsa Essentia Dei, prout complectens

omnes perfectiones simpliciter simplices: ergo vel ex harum cognitione, vel ex nulla Verbum procedit.

752. Dubitatur. 1. Vtrum Verbum procedat ex cognitione omnium trium Personarum. Negativa tribuitur Scoto, & ex parte Vasquezio, neganti Verbum procedere ex cognitione Spiritus Sancti.

753. Dicendum tamen est, Verbum procedere ex cognitione omnium trium Personarum. Probatur. 1. Ex dictis, quia tres Personæ cognoscuntur cognitione essentiali & absoluta in Deitate, tanquam fonte & origine virtuali illarum, ut patet ex dictis. Atqui Verbum procedit ex cognitione totius Deitatis: ergo &c. Probatur. 2. Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Dei: atqui Cognitio comprehensiva terminatur ad omnes tres Personas: ergo Verbum procedit ex cognitione omnium trium Personarum. & ita senserunt SS. Patres apud Ruiz *disp. 61. c. 63.*

754. Obijcitur. Paternitas est prior origine quam Filiatio & Spiratio passiva. Ergo Verbum non potest procedere nisi ex cognitione illorum objectorum, quæ Paternitas in illo priori Originis cognoscit. Atqui in illo priori originis non cognoscit Filiationem & Spirationem passivam, quia nondum existunt: ergo Verbum non procedit ex harum cognitione. *¶* 1. Distinguendo subsumptum. Non cognoscit illas ut existentes in sua radice ut essentialiter productiva, & motivo formali cognoscendi totam Trinitatem, adeoque indirectè, nego; non cognoscit ut existentes directè & immediatè, concedo. Hanc responsionem, quam ante hac dedi, approbat hæc P. Antonius Perez *disp. 3. de Trinit. c. 13. n. 195.* vbi etiam conceptissimis verbis docet, aliter se habere statum Conditionatum ad Scientiam Mediam, quam se habeat Spiritus S. (& eadem est ratio de creaturis possibilibus) ad sui cognitionem: nempe quia status conditionatus est ratio formalis, & motivum Scientiæ Mediæ, exhibens concursus intentionalem in Scientiam Mediam, & hoc, ait, colligi ex propositione causali; quod ideo Deus videt futurum conditionatè, quia est futurum conditionatè.

755. Respondetur. 2. Aliter distinguendo. Intellectio essentialis non potest in illo priori originis, in quo, prout existens in Patre, procedit cæteras Personas, non potest inquam cognoscere cæteras Personas prout existentes in illo priori, concedo: prout existentes in posteriori originis. Nego. Neque enim hæc prioritas originis est sicut prioritas Naturæ: cujus discrimen declarat Card. Pallavicinus c. 58. n. 440. Signa Naturæ, inquit, nihil aliud sunt, quam varix cognitiones, quarum aliqua ita inuenitur vnum tanquam positum & existens (quod dicitur esse in priori signo) ut dirigat in ordine ad positionem alterius, quod dicitur advenire in posteriore signo.

At hoc

At hoc non habet locum nisi in ijs, quæ habent inæqualem necessitatem vel independentiam in existendo: in illis enim est considerare principium prout indifferens ad coexistendum vel non coexistendum rei quæ ad ipsum consequitur. & ita debet posse dari aliqua perfecta cognitio ipsius principij, quæ non certificet de existentia rei à tali principio manantis, sed potius moveat illud agens liberum, cuius est hanc contingentiam determinare ad volendam talem existentiam. Hoc tamen est intelligendum juxta ea quæ supra diximus, agentes de identitate virtuali decretorum divinum. At, cum in divinis omnia sint æquæ necessaria & independentia ab arbitrio cujusunque, non datur cognitio intuitiva certificans de vno, & non de omnibus, atque adeo omnia sunt in eodem signo primo & antecedente ad univèrsalia signa. Illa ergo prioritas Originis, quam habet Pater respectu Filij, nil aliud est, quam fundamentum ex origine desumptum, incipiendi numerationem potius ab illo quam ab hoc. Cum enim non possimus omnia immediatè per cognitionem attingere, postulat Naturæ ordo, ut incipiamus ab eo, à quo cætera oriuntur, utpote præstante nobis aptam viam ad reliqua cognoscenda. Ita Pallavicinus.

Dubitatur 2. Et difficilius, an Verbum procedat ex cognitione futurorum tam absolutum quam conditionatorum.

760. Dicendum est. 1. Verbum quoad formalitatem suam necessariam, non procedere ex cognitione futurorum. Ratio est manifesta. Quia illa formalitas procederet eodem modo, etiam si non essent futura ea, quæ sunt futura, ergo ut sic non est cognitio passiva & repræsentativa futurorum quæ talium: atqui est repræsentativa omnium eorum, ex quorum cognitione procedit: ergo secundum formalitatem necessariam non procedit ex cognitione futurorum. Vtcrius, Verbum præcedit ipsa decreta libera, utpote procedentia à tota Trinitate, ergo etiam præcedit Visionem futurorum.

777. DICO. 2. Probabilius est, Verbum procedere ex cognitione futurorum secundum aliquam terminationem virtualiter intrinsecè distinctam, quæ repræsentantur objecta futura. Hac est reipsa Sententia Alensis, Bonaventuræ, D. Thomæ, Valentini, Zunigæ, Arriagæ, ut fateretur Derkennius, qui contrariam tenet. Eandem sequitur Antonius Perez & Comptonus, videnturque esse Sanctorum Patrum apud Zunigam, asserentium, Patrem loqui Verbo omnia quæ scit, & Verbum repræsentare omnia quæ sunt in divina Scientia.

778. Ratio autem est. Quia Verbum accipit à Patre Scientiam contingentem, sicut accipit Scientiam essentialè: atqui hanc accipit per productionem alicujus terminationis. necessariæ: ergo illam accipit per productionem terminationis contingentis. Pari modo in Paternitate sunt super-

addenda hujusmodi relativæ terminationes contingentes, virtualiter intrinsecè distinctæ, quæ omnia sine vilo inconvenienti aut speciali difficultate admittuntur, admissis semel in Deitate terminationibus contingentibus, ut iterum fateretur Derkennius.

759. Ex hac Sententia fieri potest argumentum ad probandum, Decretum Intentionis & Executionis, & visionem futurorum non distinguì virtualiter intrinsecè. Si enim hæc decreta virtualiter intrinsecè distinguerentur, sequeretur, Spiritum S. quoad omnes terminationes prius completum esse quàm Verbum, & per consequens, Spiritum Sanctum habere aliquam terminationem à solo Patre: quàm sequelam etsi Arriaga concedat, victus bonitate consequentiæ, est tamen contra sensum aliorum, & teste Derkennio per se absurda, qui etiam clarè rejicit effugia Zunigæ. Sequela autem probatur. Quia si decretum Intentionis præcedit virtualiter intrinsecè Scientiam visionis, jam vi hujus decreti produceretur in Spiritu S. terminatio correspondens, quæ erit ultimum illius complementum: Verbum autem complebitur à terminatione producenda per visionem subsequenter, ut facile patebit consideranti: ergo vera est sequela.

CONTROVERSIA III.

Utrum, si Spiritus S. non procederet à Filio, distingueretur ab illo.

760. **Q**uestio hæc procedit sub hypothese impossibili, quæ tanquam vtili ad arguendum vsi sunt Theologi Concilij Florentini contra Græcos, asserentes, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, & tamen realiter distinguì ab eodem.

761. Ut autem hypothesis vtilis sit, non debet ita formari, ut retineatur hic Filius & hic Spiritus Sanctus, & simul ponatur ille carere virtute spirandi, & iste processione passivâ, essentialiter respiciente hunc Filium; in hac enim hypothese includerentur formaliter contradictoria, saltem in sententia communi, quod Spiratio activa sit constitutiva hujus Filij, & quod hæc Spiratio passiva respiciat spirationem activam ut communem duabus Personis.

762. Hypothesis ergo hoc modo formanda est. Fingamus, in Deo dari productionem Verbi sine communicatione Spirationis activæ, & Spirationem passivam à sola prima Persona procedere, quæritur, an tunc Persona spirata realiter distingueretur à Verbo, seu à secunda Persona; hoc est: essentne tunc duæ tantum, vel tres Personæ? Vel sic. Ponamus aliquem ignorare Processionem terciæ Personæ à duabus, & tantum agnoscere unam Personam productivam seu operativam ad intrâ: quæritur an talis adhuc possit cum

P

set cum

fer cum fundamento asserere, primam Personam producere duas Personas, vnam per Intellectum, alteram per voluntatem?

763. Affirmant Scotista. Negant alij cum S. Thoma, cum quibus & nobis sentiendum est.

Probat. 1. Autoritate Patrum Latinorum Concilij Florentini, arguentium semper contra Græcos, & inferentium processionem Spiritus S. à Filio ex eo, quod realiter distinguitur ab illo: quæ consequentia non esset legitima, si vnica & adæquata ratio distinguendi Filium à Spiritu Sancto, non esset hujus processio ab illo.

764. Probat. 2. Ex receptissimo Theologorum axiomate: In Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat Originis oppositio: atqui in data hypothese non obuiaret originis oppositio. Ergo Spiritus S. & Filius essent vna & non duæ Personæ.

765. Obijciunt. 1. Autoritas S. Anselmi de Processione Spiritus S. dicentis, Filium & Spiritum S. ipsâ distinctione Nativitatis & Processionis referri ad invicem, vt alios ab invicem: ergo si abesset Spiratio activa, adhuc referrentur ad invicem, quia Nativitas non est Spiratio activa. 2. S. Anselmum loqui de Nativitate & Spiratione defacto existentibus, & secundum has vtique ad invicem referuntur, quia hæc Filiatio est essentialiter acceptio Spirationis activæ, & sic opponitur etiam Spirationi passivæ, vt magis declarabitur in solutione vltimæ objectionis.

766. Obijciunt. 2. Productio Verbi esset Generatio; & productio Spiritus Sancti non esset generatio in illa hypothese: ergo de illis adhuc verificarentur contradictoria: ergo distinguerentur realiter ab invicem, quia non distinguerentur in tertio. 3. Cum plures explanationes Generationis Verbi fundentur in processione Spiritus S. à Verbo, secundum illas explanationes (quas paulò antè retulimus) falsum erit primum membrum antecedentis, nempe quod in illa hypothese nulla daretur Generatio. In alijs verò explanationibus non recurrentibus ad fecunditatem spirandi, concessio primo membro, falsum erit secundum membrum antecedentis, in sensu reali: Tunc enim Verbum & Spiritus S. essent vna Persona genita, procedens per Intellectum & Voluntatem, & esset Intellectio genita cum amore spirato, sicuti tunc virtus generandi esset virtus spirandi etiam virtualiter.

767. Obijciunt. 3. Constitutivum Filij est sola Filiatio prout contradistincta virtualiter à spiratione activa: atqui in hypothese data maneret Filiatio: ergo & constitutivum Filij. Sed constitutivum rei est ejusdem distinctivum: ergo adhuc maneret distinctivum Filij à quocunque alio: ergo & à Spiritu Sancto. 4. Negando quod in data hypothese maneret hæc Filiatio, quia hæc Filiatio formaliter constituitur per acceptionem

spirationis activæ: Filiatio autem quæ ponitur in hypothese, non esset talis acceptio, vt supra dictum est.

768. Obijciunt. 4. Si Spiritus S. procederet à solo Filio, adhuc distingueretur realiter à Patre: ergo pariter si procederet à solo Patre, adhuc distingueretur realiter à Filio. 5. Negando consequentiam & paritatem. In priori casu adhuc opponeretur relativè Pater Spiritui Sancto, tanquam Principium mediatum non communicatum: & quia impossibile est, duo esse sibi reciprocè principia productiva, ergo hoc ipso quod ponatur Filius produci à Patre, ponitur etiam, Patrem distinguere realiter ab omni illo, quod producit à Filio.

769. Obijciunt. 5. Repugnat dari in Deo duas productiones totales ad eundem terminum, esset enim altera essentialiter superflua: atqui Generatio & Spiratio activa sunt productiones totales: ergo earum termini semper sunt realiter distincti. 6. Argumentum saltare à statu qui est defacto, ad eum qui esset in hypothese facta. Defacto sunt productiones totales, in casu hypothese esset vnica, & tunc esset alia spiratio activa, soli Patri propria: ergo & alia spiratio passiva.

770. Obijciunt. 6. & præcipuè. Filiatio & Spiratio passiva non opponuntur relativè: non enim respicit Filius qui defacto est Spiritus S. per Filiationem, sed per Spirationem activam, & tamen Filius distinguitur nunc à Spiritu S. non solum per Spirationem activam, sed etiam per Filiationem: ergo in casu hypothese posset etiam distinguere, licet Filius non haberet oppositionem relativam cum processione Spiritus Sancti.

771. Ex hoc inferunt adversarij, Concilia, quando dicunt, in Deo non dari distinctionem realem, nisi vbi intercedit oppositio relationis, non esse intelligenda secundum rigorem verborum, hoc est, inter solas relationes oppositas dari distinctionem realem, sed inter omnes relationes etiam disparatas, & non oppositas. Verum hoc vltimum est manifestè falsum, nam relatio Spirationis activæ, non distinguitur à Paternitate & Filiatione, & tamen sunt relationes disparatæ.

772. Ad objectionem ipsam variæ sunt excogitatæ responsiones. Et quidem Arriaga libenter persuaderet alijs, non posse illam solvi, nisi supponendo sententiam suprâ à nobis rejectam, videlicet, quod Principium formale Quod sit sola Volitio essentialis. Quare n. 33. Respondendum est, inquit, huic difficultati ex principiis Suarez & nostris, Principium Quod productivum Spiritus S. non includere Spirationem activam, sed solam Paternitatem & Filiationem cum Volitione. Respondet ergo, Paternitatem & Filiationem opponi Spiritui S. tanquam Principium Quod, oppositio enim propriè reperitur inter Principium Quod, & inter terminum productum. Rejicienda nobis

da nobis est hæc responsio, quâ parte supponit principium nobis minus probabile. ceterum innuat responsionem sufficientem, quam paulò post ex Card. Pallavicino dabimus.

773. Respondent alij; Relationes Filiationis & Spirationis passivæ, licet non opponantur ut correlationes, opponi tamen ut constitutivas correlativorum, quia Filiatio constituit Filium, qui est Spirator. Sed hæc responsionem enervat Lugo; quia etiam Deitas constituit Patrem, neque tamen propterea Filiatio distinguitur à Deitate, sed à sola Relatione Paternitatis: ergo similiter licet Filiatio constituat Filium, non propterea deberet Spiratio passiva distingui à Filiatione, sed sufficeret distingui à Spiratione activâ, per quam Filius formaliter constituitur in ratione correlati ad Spiritum Sanctum.

774. Confirmatur. Spiratio activâ, esto constituat Filium, non tamen opponitur Paternitati: ergo pari modo, licet Filiatio constituat Spiratorem, non propterea habet oppositionem cum Spiratione passivâ, sed satis erit huic opponi Spirationem activam.

775. Respondent alij. 3. Processionem Spiritus Sancti opponi immediate quidem cum sola Spiratione activâ, mediâtè verò cum Filiatione, tanquam cum Subsistentia seu supposito spirante, quia Natura originis est, non solum opponi cum virtute agentis, sed etiam cum supposito agente ut *Quod*. Ita P. Arrubal. Hæc responsio posset impugnari instantiâ. Nam in Christo principium producat humanitatem, non opponitur cum supposito producti, cum sit ipsum suppositum: ergo non semper opponitur suppositum producat cum re producta. Verum sufficere posse hæc responsionem patebit ex dicendis.

776. Respondent. 4. alij cum Suarez lib. 7. c. 4. n. 9. supponendo ex Metaphysica, rationem terminandi relationem & correlationem formaliter saltem ab invicem distingui: unde sequitur, relationem non solum opponi correlationi, sed etiam & multo magis opponi termino secundum rationem terminandi: cum ergo Relatio Spiritus Sancti terminetur ad Patrem & Filium, à quibus procedit, ideo non solum opponitur Spirationi activæ, quæ est correlatio, sed etiam Paternitati & Filiationi.

Sed contra est: Nam ratio terminandi Spirationem passivam, non est Paternitas & Filiatio, sed virtus spirandi: passio enim respicit suum principium formale tanquam terminum: v. g. Intellectus respicit potentiam intellectivam, non autem Personalitatem tanquam rationem terminandi: atqui Paternitas & Filiatio non sunt virtus spirandi: ergo ex hoc capite non sunt ratio terminandi relationem spirationis passivæ. His ergo rejectis

777. Dux restant solutiones duorum Cardinalium, quæ fortè coincidunt, & objectioni satisfaciunt.

Prima est Card. de Lugo, cui adstipulatur Zuniga g. 40. d. 15. dub. 6. in fine. Docet ergo, Filiationem etiam prout distinctam à Spiratione activâ, opponi processioni Spiritus Sancti mediâtè & implicite, quia Filiatio est processio, quâ Filius accipit, quidquid Pater habet, exceptâ Paternitate, atque adeo est acceptio ipsa illorum quæ Filio communicantur: ergo est etiam acceptio activæ Spirationis quæ Filio communicatur: ergo ipsa Filiatio prout virtualiter distincta à Spiratione activâ, habet oppositionem cum Spiratione passivâ. Probatur consequentia, quia non minus opponitur Spiritus Sanctus acceptioni spirationis activæ, quam ipsi Spirationi acceptæ, sicut enim repugnat, Spiritum S. esse spiratorem, ita repugnat esse accipientem spirationem activam, quia non potest accipere id quod non potest habere. Hæc ratio applicatur etiam Paternitati, quæ prout distincta à Spiratione activâ, est datio seu communicatio activæ Spirationis, quam Pater communicat Filio, & per consequens opponitur Spiritui Sancto, qui sicut non potest spirare, ita non potest dare virtutem spirandi seu Spirationem activam, nemo enim dat quod non habet. Quare Pater non solum ratione Spirationis activæ, sed etiam ratione Paternitatis opponitur mediâtè Spiritui Sancto.


778. Huic solutioni opponit se, ut solet, Arriaga, & Objicit 1. Quia gratis dicitur Filiatio esse acceptio Spirationis activæ: sicut enim in Filio ipsa Filiatio est actualis receptio sui, cur eodem modo Spiratio activâ non erit receptio sui? aut cur id munus tribuendum est Filiationi? Respondetur tamen facile; negando paritatem. Spiratio enim activâ non est acceptio, quia est res accepta seu communicata: sicut ergo Filiatio est acceptio Naturæ, quia Natura est communicata, ita etiam est acceptio Spirationis activæ, quia hæc est communicata. Filiatio autem non communicatur sed producit, quare ita est acceptio sui, ut etiam sit acceptio eorum quæ illi dantur seu communicantur. Quod autem Spiratio activâ non possit dici sui ipsius acceptio, etiam ex eo liquet, quia alioquin etiam Pater diceretur eam accipere.

779. Objicit. 2. Quia etiam si Filiatio esset receptio Spirationis activæ, & simul esset identificata cum Spiritu S. non propterea Spiritus S. denominaretur Recipiens; sicut defacto licet Angelus recipiat sui creationem, non propterea denominatur *Producens*, quia non omnem denominationem tribuit forma subjecto. 3. Si Filiatio identificaretur cum Spiratione passivâ, vel distingueretur ab ea saltem virtualiter, vel non. si non? tunc falsum est antecedens objectionis: sicut enim Filiatio, ita & Spiratio passivâ esset tunc receptio & recipiens: si verò distingueretur virtualiter; tunc Spirationi passivæ communicaretur Filiatio per productionem spirationis passivæ, adeoque communicaretur receptio Spirationis activæ:

ergo nihil deesset, quominus eam denominaret recipientem, sicut Spiratio activa, quia communicatur Filio, denominat spirantem: Deinde est prorsus inintelligibile, quod Spirationi passiva, quæ est formalissima exclusio Spirationis activæ, communicetur receptio Spirationis activæ: cui bono communicaretur Spiritui Sancto receptio formæ sibi incommunicabilis, & à se formaliter exclusæ? falsum ergo est antecedens. Instantia allata ab Arriaga non facit ad rem: à Phycis redditur specialis ratio cur actio non denominet *agens* omne suum modificatum, ob diversum recipiendi modum.

780. Objicit. 3. Supponendo Sententiam, quam ait esse multorum (fortassis non est nisi trium, Turriani, Vasquez & Tanneri, quorum priores duo instar vnus reputandi sunt) quod ipsa Intellectio sit actualis productio Filiationis: vnde sequitur, quod sit actualis receptio Filiationis, & tamen non omnes tres Personæ, quibus est communis, sunt recipientes Filiationem. *æ.* Negando suppositum. Deinde, transmissio supposito, nego illatum: Non enim productio activa, sed passiva dicitur receptio. Nihil ergo enervant objectiones Arriagæ responsionem Lugonis.

781. Altera responsio est Cardinalis Pallavicini, quod Paternitas & Filiatio opponantur Spirationi passivæ ideo, quia licet in rebus creatis possit producens & productum realiter distinguui & opponi, absque eo quod opponantur in ratione suppositi, prout contingit in Christo, hoc tamen non potest fieri in Deo ad intrā, vbi Producent & Productum debent opponi penes vltimum constitutivum & distinctivum suppositi. Disparitas est, quia in creatis non solum supposita produci potest, sed etiam Natura, & ideo mirum non est, quod Deitatis producens & Humanitatis producta idem possit esse suppositum: at verò in Spiritu S. nihil est producibile nisi Spiratio passiva, quæ est constitutivum formale tertie personæ quæ talis, & consequenter ejusdem distinctiva ab omni alio supposito quæ tali; adeoque etiam à suppositis spirantibus: atqui supposita spirantia quæ talia constituuntur per Paternitatem & Filiationem, tanquam per constitutiva incommunicabilia: ergo suppositum productum opponitur suppositis producens secundum Personalitatem, quæ est Paternitas & Filiatio. Hanc solutionem breviter etiam adhibet P. Philippus à Sanctissima Trinitate. *disp. 8. dub. 2. in fine.*



LIBRI